



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CVIII. An plures sint in Deitate personæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

di alia attributa, non accipiuntur alia processionis nisi verbi & amoris, secundum quod Deus suam essentiam, veritatem & bonitatem intelligit, & amat.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra habitum est) Deus vno simplici actu omnia intelligit, & similiter omnia vult. Vnde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore, sed est in eo solum vnum verbum perfectum, & vnus amor perfectus. Et in hoc eius fecunditas manifestatur.

Summa totius questionis.

Conclusio est. Non est alia processio in Deo, quam verbi, & amoris. Totius ergo huius questionis summa est, ita Deum esse vnum essentia, vt intra se ipsum producat Filium, & amorem, seu Spiritum sanctum, eiusdem omnino naturæ, personis tamen distinctos, nec plures aut filios, aut Spiritus, aut personas à Deo produci, ac proinde tres esse solum in Deo personas productione distinctas, sed essentia indiuisas, quæ doctrina Catholica aliquibus disputationibus altius est nobis examinanda.

DISPUTATIO CVIII.

An plures sint in Deitate personæ.

Varij heretici Trinitatem personarum oppugnant.

cap. 1.

Ex veteri testamento, & Rabinorum testimonio pluralitas personarum in diuina natura adstruitur, cap. 2.

Personarum Trinitas contra Iudeos ex nomine tetragrammato ostenditur. c. 3.

Idem contra hereticos ex veteri & nouo testamento monstratur. cap. 4.

CAP. V. I.

Varij heretici Trinitatem personarum oppugnant.

QUANTUM de modo procedendi personarum, & de cuiusque proprietate speciatim multa inferius dicturi sumus, oportet tamen, ante omnia numerum earum, & naturam explicare, & fide certa statuere, quandoquidem Beatus Thomas in hac questione & numerum personarum, & processionum definit, Numerum vero, de quo præsens est nobis controuersia, præter Iudeos omnes, innumeri etiam heretici expresse negarunt, asserentes ita esse vnum Deum, vt non solum vna sit eius essentia, sed etiam persona. Primus author huius erroris, teste Epiphaniio heretico 37. fuit Noetus Asianus ex vrbe Ephesi, vnde & Noetiani dicti sunt. Quem idem asserit Epiphanius, ante sua tempora vixisse centum triginta, plus minusue annis. Verum multo antiquior Noeto Praxeas videtur eundem errorem docuisse, vt colligitur ex Tertulliano lib. de præscriptionibus aduersus hereticos cap. vltimo in vltimis verbis. Post hos omnes (inquit) etiam Praxeas quidam hæresim introduxit, quam Victorinus corroborare curauit. Illic Deum Patrem omnipotentem IESUM Christum esse dicit, hunc crucifixum passumque contendit, mortuum præterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam cum profana & sacrilega temeritate proponit. Idem scribit in libro contra ipsam Praxeam cap. 1. in principio, Ex quibus liquet, Participatam hæresim, quæ communiter tribuitur Sabellio, multo esse illo antiquiorem. Cum ergo Praxeas, sicut Sabellius (de quo postea) dicat patrem omnipotentem incarnatum, cum eodem etiam Sabellio Trinitatem personarum in vnam plane confundit, quare Tertullianus in libro contra ipsam statim ab initio Trinitatem personarum in vna natura probare contendit. Fuit hic Praxeas primus, qui teste Tertulliano, ex Asia hanc hæresim Romam inuexit. Pro hac sententia refert Augustinus lib. de hæresibus cap. 41. Hermogenianos ab Hermogene, sicut etiam Praxeianos à Praxeas, sed apud alium neminem ex antiquioribus legi. Hermogenem in hac fuisse sententia. Antetempora quoque Tertulliani in eodem errore fuerunt aliqui Montanistæ, Græce nuncupati κατὰ φηγάς, Kata Phrygas quorum authores, vt asserunt Euseb. lib. 5. Hist. cap. 14. & 18. fuerunt Montanus, & Priscilla, & Maximilla: & ex gente Phrygia nomen sumpserunt: quemadmodum teste Philastro, iidem etiam Donatiani sunt appellati, à quodam Donato, qui per Africam eandem hæresim seminauit: dicti quoque sunt, vt notat Epiphanius heretico 48. Tascodrugitæ.

Patres tamen antiqui de his Montanistis contraria docuisse videntur, nam Epiphanius non solum hunc errorem Montanistis non adscribit, verum etiam hæresim citata de illis sic ait. De Patre autem, & Filio, & Spiritu sancto, similiter sentiant, vt sancta Catholica Ecclesia. Quamobrem August. lib. de hæresibus cap. 26. erroribus Montanistarum hunc non annumerat: contra vero Hieronym. Epistola ad Marcellam contra Montanum, quæ est 54. de eisdem ita scribit. Trinitatem in vnius persone angustias cohebant. Verum Nicephorus lib. 4. histor. cap. 12. paucis hanc licentiam diremisse videtur. Montanus (inquit) de diuina Trinitate, & mundi creatione eadem nobiscum docuit, nonnulli tamen ex sectatoribus eius postea tres diuinitates substantias, vnam esse sunt opinati. quamus ergo Montanus ipse recte de Trinitate lenisset, aliqui etiam eius discipuli postea prædictum errorem fuisse sequuti. Id quod ex Tertulliano lib. de præscriptionibus aduersus hereticos cap. 72. perspicue constat, vbi ait. Accesserunt alij heretici, qui dicuntur secundum Phrygas (græce κατὰ φηγάς) sed hanc non vna doctrina est. Sunt enim qui Kata vnam dicuntur, sunt qui secundum Aeschinem pronuntiantur. Et sunt Kata Aeschinem hanc habent: quæ addunt etiam sunt Kata Aeschinem ipsum esse filium, & patrem. Illi hoc, vt dicant Christum ipsum esse filium, & patrem. Ergo Kata Phrygas, seu Montanistæ, qui dicebantur Kata Aeschinem, hoc est secundum Aeschinem, prædictam hæresim tradiderunt. Et quamquam thore Aug. lib. de hæres. c. 86. Tertullianus post medium ætatem ad Kata Phrygas transiit, tamen non est, vt vtrum illis, qui Kata Aeschinem dicebantur, adhaerere eis, qui Kata Aeschinem dicebantur, de quo Basil. lib. 2. contra Eunomium prope finem ait, Montanus solus contra Spiritum insinuat, alius videtur fuisse.

Postea prope tempora Epiphaniij hanc hæresim suscitauit Sabellius, à quo communiter dicta est Sabelliana, quod auctore & doctore Sabellius.

Dei omnam esse personam hereticici qui dam docent Epiphanius. Noetus. Tertullianus.

lio, ut ait August. haeresi 41. multo frequentior, quam ante fuerit. De Sabellio Epiphani. haeresi 26. sic scribit. Sabellius quidam surrexit in temporibus non adeo prius, reuens enim est hic, à quo Sabelliani appellati: quare quod asserunt Aug. & Philaster, quos sequitur Alphonfus de Castro verbo, Deus, haeresi 3. Sabellium videlicet fuisse Noeti discipulum, ea solum ratione verum esse potest, quia illius doctrinam fuerit sectatus. Hic Sabellius, ut asserit Sander. 7. de visibili monarchia haeresi 50. fuit Afer Pentapolitanus eiusque discipuli Patropassiani sunt appellati, teste etiam August. quia cum solum vnam personam in Deo esse faceretur, quam & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non vt tres personas, sed vt eandem tribus nomenclaturis appellabant: consequenter dicebant, patrem incarnatum, passum, & mortuum fuisse, vt de Noeto expresse narrat Epiph. haeresi illa 57. Augustin. vero miratur Epiphaniū, quod de Sabellianis dixerit, similia Noeto dogmatizasse, praeter hoc, quod dicunt Patrem non esse passum: miratur vero quoniam discipuli Sabellij, frequentius Patropassiani, quam Sabelliani, non ob aliud dicebantur, nisi quia asseriebant cum Noeto, Patrem incarnatum, passum, & mortuum fuisse. Ergo quidem simile, quid non reperi in Epiphaniō: solum enim de Sabellianis ait, hic similiter, vt Noetiani, paucis quibusdam exceptis docuit. Quae tamen illa sint ipse non explicat.

Post Sabellium eidem errori adhæsit Paulus Samosatenus, vt testis est Epiphanius haeresi 65. & Nicephorus lib. 6. historiae cap. 27. qui (vt ait Epiphanius) postquam electus fuit Episcopus Antiochie in haeresim lapsus est: deinde Photinus Episcopus Simoniensis, cuius meminit Epiph. haeresi 71. huius autem errorem, cum tam Catholicis, quam Arianis auge ferrent, quod Trinitatem personarum omnino negaret, ab Imperatore Constantio obtinuerunt, vt Concilium Simoniense conuocaret, in quo Episcopi volentes dānare Photinum, Arianæ haeresi adhæserunt, vt infra dicemus. Hos praeterea sequutus est Paucilianus Episcopus Abulens. vt est apud Leonem primum Epistola 93. alias 91. ad Turibium cap. 1. qui propterea Caesar Augustus episcopali iudicio in concilio damnatus est. Iam vero, vt refert Sanderus lib. 7. de visib. monarch. haeresi. 228. & Prateolus verbo, Deistæ, tempore Pij IV. sub anno 1564. orti sunt Deistæ, seu Trinitarii, qui cum in Deo tres hypostases confiterentur, tres personas negabant, nescio quid per substantiam intelligentes. Denique vt refert idem Sanderus haeresi 227. Seruetus natione Hispanus, cum in Africā traiciens Alcoranum didicisset, Mahumetanis, & Iudeis plane conlensit, vnicam tantum in diuina natura personam affirmans: eum sequuti sunt Georgius Blandrata, & Franciscus Davidis,

CAPVT II.

Ex veteri testamento, & Rabbinarum testimonio pluralitas personarum in diuina natura asseruitur.

A Nequam aduersos haereticos Trinitatem personarum ex noua scriptura deducamus, opus est contra Iudæos, qui veteri testamento solum fidem habent, idem mysterium comprobare, atque suorum Rabbinarum testimoniis eos convincere. Supponendum autem in primis ex est, è Abulino opusculo quodam de Trinitate, & Nicolao de Lyra in opusculo contra Iudæos, quod ha-

betur 6. tomo Glossæ ordinariæ, licet non possit ex veteri testamento mysterium hoc ita monstrari: vt negantes manifeste contradictionis arguamus; nihilominus esse aliqua in eo testimonia, quæ si expositionem rationi magis consentaneā, & antiquis etiam Rabbis non ignotam sequamur, hoc mysterium Trinitatis, aut pluralitatis saltem personarum nō obscure prædicant. Huius rei non ignarus Epiphanius in libro Ancorato sic ait: Vna Deitas à Moyse præcipue annunciata est, personarum dualitas vehementer à prophetis prædicata, Trinitas vero personarum in Euangelij manifesta facta est. Adde quædam esse loca veteris testamenti in nouo explicata, quibus non modo Catholicis, sed etiam hæreticis, qui nouo testamento credunt, Trinitatem vel aliquam illius personam certo probare possumus: ea vero cap. 4. recenserebimus.

Iam ergo testimonia veteris testamenti contra Iudæos proferamus. Primo probati solet ex illo Genesis primo. In principio creauit Deus, vsque ad illud, & Spiritus Domini ferebatur super aquas: hinc colligitur mysterium Trinitatis Augustin. lib. de Genesi ad litteram imperfecto cap. primo. Origines & Rupertus in eum locum, ita vt in principio, idem sit quod in Filio, seu in verbo, quod est secunda persona. Spiritus autem Domini, qui referebatur super aquas, sit tertia in Trinitate persona, quam Spiritum vocamus, cui expositioni fauet Rabbi Eleazar in eum locum, quem refert Marfil. Ficin. lib. de religione Christiana c. 31. nam eum locum interpretatus dixit, non est creatus mundus nisi per verbum, vel cum verbo: sicut habetur in Psal. 32. Verbo Domini caeli firmati sunt. Hieron. in questionibus super Genes. in principio sic ait: Perique existimabant sicut in alteratione Iasonis, & Papii scriptum est, & Tertullianus in libro contra Praxeam disputat: nec non Hilarius in expositione cuiusdam Psalmi affirmat, in Hebræo haberi, in Filio fecit Deus caelum & terram: quæ si ita essent inde persona Patris, & Filij aperte colligeretur: At in Hebræo non ita haberetur, vt bene aduertit Hieronym. dicitur enim בראשית Beresht, quæ vox principium, seu caput solum apud Hebræos significat: nullo modo Filium. Quare omnes conuertunt, aut in principio, vt vulgata, & 70. Symachus, & Theodotius, aut in capite, seu in capitulo, vt Aquila; tamen si Hilarius in Psalmum 2. parum à principio dicat, בראשית Beresht, tria significare apud Hebræos, in principio, in capite, in Filio. Tertullianus vero, cuius etiam meminit Hieronym. libro aduersus Praxeam cap. 5. refert, solum aliquos asserere, in Hebræo Genesim ita incipere. In principio Deus fecit sibi filium, quorum sententiam ipse non probat: est enim merum figmentum. Nihilominus Hieron. docet voce illa, in principio, posse denotare filium; non quia vox ipsa filium significet: sed quia de filio incarnato dictum est illud Psalm. 39. In capite libri scriptum est de me.

Verum ex prædicto testimonio, omnibus pensatis, non video mysterium Trinitatis probari, quia vox בראשית Beresht, nullo modo significat Filium, vt contra Hilarium notauit Hier. sed initium, aut caput, quod idem est: ibi initium temporis denotat, vt inquit Hieronym. & Tertullianus libr. contra Hermogenem cap. 19. & multi alij. Tum quia illud Psalmi 39. in capite libri, non recte refertur ad initium Genesim, sed aut ad initium libri Psalmorum, cum dicitur in 1. Psalmo, sed in lege Domini voluntas eius, vt docent August. & Rufinus.

Rufinus:

1. Testim. ex Genes. non conuincit. August.

7. Orig. Rupert. Rabbi. Eleazar.

Primā rā. Vulgata. Symach.

Theodot. Aquila. Hilari. Tertull.

Hierony.

8.

Vox hebraica, quæ vertitur principium non significat Filium. Tertull.

Augustin. Rufinus.

Augustin.
Ruffinus.

Eugenius
Cur lex vo-
lumen dicitur.

9.
2. Ratio.
Ambrosius.
Nylsen.
Basil.
Athanasius.
Chrysostomus.
Aer cur di-
ctus Spiritus
Domini

Theodor.
Tertull.

Genes. 1.

Probatur
aliter eade
veritas ex
ci. 1. sed
minus effi-
caciter.

Mag.
Lyra.
Burgens.
Galat.
Catherin.

10.
Caiet.
Oncal.

Rab. Huna.

Genes. 29

Hebraei co-
mune est
vbi plurali
pro singula-
ri.
Exod. 21.
1. Reg. 28.

Ruffinus: subditur enim statim in eodem Psalmo 39. *vi facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* ac si dicat, initio huius libri Psalmorum de me scriptum est, *vi facerem voluntatem tuam.* Aut vt explicat Aug. Eagubinus & recentiores, in capite libri, id est, in volumine legis, scriptum est de me: quia ibi tradita sunt diuina praecepta, *vi facerem voluntatem tuam,* seruando ea. Et in Hebraeo dicitur in volumine. Volumen autem idem est quod tota lex. Hebraei enim, imo & Gentiles antiquitus in membranis scribebant, quae in rotundum voluebantur, & Graeci nomine *ἐν κυλινδρῳ* quo 70. vtuntur, non solum eam partem superiorem, quae dicitur caput, significant, sed etiam summam, & recapitulationem. Quare caput ibi significat summam totius legis, quae ad hoc ordinabatur, *vi facerem voluntatem,* &c. Præterea illud in principio, Genes. 1. significare initium durationis, præter Hieronymum & Tertullum citatos, docent Ambr. lib. 1. Hexameron cap. 3. & 4. Nylsenus lib. etiam Hexameron, Basil. homilia prima Hexameron, Athanasius oratione in illud, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Chrysostomus homil. 2. in Genesim. Addit quod nomen Spiritus, cum dicitur, *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas,* multo melius ibi aërem denotat, vt ex ponit Theodorus, q. 8. in Genes. & Tertull. libr. aduersus Hermogenem cap. 31. & 32. dicitur autem Spiritus DOMINI, aut quia magnus est, sicut dicitur etiam mens Dei; aut quia à Deo agitur, & mouetur. Alii exponunt fecunditatem, quam Deus aquis impertit. Quare ex illo loco non video quomodo colligatur Trinitas.

Secundo, adducit solet idem testimonium Genes. 1. *In principio creauit Deus,* alia tamen ratione: nimirum quia vox latina, *Deus,* in Hebraeo est *אלהים Helohim,* in numero plurali, cuius singulare est *אלה Hel, aut אלהא Heloha,* ac si latine diceretur, *Creauit Dij.* Non enim vacat mysterio nomen Dei pluraliter verbo singulari coniunctum, nempe vt significaret Moyses Trinitatem personarum nomine plurali Dei, & vnitatem essentiae verbo singulari. Hoc testimonio vsus est Mag. in 1. dist. 2. quem sequuti sunt postea Nicolaus de Lyra, Paulus Burgens. locis citatis, Pet. Galatinus lib. 2. de Arcanis cap. 9. Catherinus lib. 4. contra Caietanum atque ex simili alio loco id ipsum deducere contendit Oncala in cap. 20. Genes. Confirmant vero Petrus Galatinus, & Lyra ex minori expositione super Genesim, quae apud Rabbinos in magno pretio est: vbi Rabbi Huna dixisse fertur, *Nisi hic sermo scriptus esset, non licuisset dicere creauit Helohim,* Hoc est diu. Verum Caietanum quem acciter, sed absque fundamento, reprehendit Catherinus, & cum illo alij recentiores merito docent, ex simili phrasi scripturae efficax argumentum pro Trinitate deduci non posse, quod consuetum sit Hebraeis, vti plurali pro singulari Genes. 24. *Posuit manum super semur Abraham domini sui,* in Hebraeo est *אברם אדוניו* Adomiau, dominorum suorum, Exodi. 21. *Si dederit Dominus eius uxorem illi,* Hebraice est eodem modo, *דניו* Domini eius. 1. Regum 28. *Vidi Dominum ascendentem de terra,* Hebraice *ארהים Helohim,* Dominos, seu Deos ascendentes: & statim subiungitur, qualis est forma eius. Frustra enim Lyranus respondens huic posteriori testimonio, comminiscitur, cum Samuele ascendisse daemone, & ideo Pythonissam dixisse, *Vidi Dominos ascendentes*

de terra: postea vero Saulem interrogasse de Samuele, quem solum suscitari cupiebat. Quamvis illi forma eius? Hoc enim non minus est absque fundamento, quam illud, quod Rabbini communiter asserunt, cum Samuele videlicet ascendisset, quoque Moysen testem causae illius. Nec solum mos est Hebraeis vti plurali pro singulari, sed etiam nomen pluralis numeri verbo singulari coniungere: imo & ipsum nomen, *אלהים Helohim,* Exodi. 20. *Non habebis Deos alienos,* in Hebraeo est, *Non erit tibi Dij alij,* pro erunt dij alij, vel erit Deus alienus: quod idem est. Vacat ergo mysterio nomen *אלהים Helohim,* verbo singularis numeri coniungi Hebraice solum phrasi retenta. Probant vero aliqui hanc sententiam, quia aliqui liceret etiam Latine mysterij Trinitatis significandi causa dicere, creauit Dij: & tres personas diuinas, tres Deos appellare. Verum respondere aliquis posset non esse Latinis consuetum nomine, *Deus,* significare personas diuinas, sed naturam: ideo contra Lyranum, & aliorum opinionem vnicum illud sufficiat argumentum, Hebraeis videlicet commune esse, vti plurali pro singulari, & plurale nomen singulari verbo coniungere. Nam si *אלהים Helohim,* in plurali numero non Deos diuersae naturae, se personas in eadem natura significaret, nisi Pluralis ipsae Hebraice id peculiare haberet, vt plurale pro singulari poneretur, non diceremus. *Creauit Dij:* sed creauerunt Dij, hoc est, diuinae personae. Cum ergo sit ille modus loquendi Hebraeis peculiaris, non aliud latere mysterium dicendum est: quam quod numero plurali pro singulari vtuntur. Nec solum nomen *אלהים Helohim,* quod est in plurali, coniungitur verbo singularis numeri: sed etiam aliquando plurali, vt intelligamus non mysterij causa positum esse, sed quia vtiqueque plurale, pro singulari accipitur. Sic 2. Regum 7. vbi dicitur, *Quae est autem gens, sicut populus Israel, propter quod iurauit Deus, vt redimeret?* Hebraice legitur, *האומה האלהה* Haecum Helohim iurauit dij, pro iurauit Deus.

Tertium testimonium sit ex Genesi 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* quod propter patrum auctoritatem contemnedum non est. Ex eo colligitur mysterium hoc Orig. & Basil. & Chrysostomus. in eum locum Ambrosius ibidem, & in libro de dignitate humanae conditionis, Athanasius in oratione contra Idola citat. Eusebius lib. 1. Historiae cap. 1. Epiph. in lib. Anchorato, Augustinus in lib. de Genesi ad litteram imperfectione in eum locum, & de Clauitate Dei lib. 16. cap. 6. Cyrillus lib. primo aduersus Iulianum 1. Theodoretus quaestione 19. in Genesim & Rupertus lib. 2. in Genesim cap. primo: nec enim verbalis auctoritatis & maiestatis solius causa, vt principes vti solent, dicta fuisse putandum est. Vt autem Basilii & Theodoretus, quis sapiens artificum instrumentis solum artis sibi praesentibus, nullo socio comitante, dicat, faciamus cultellum? Hanc interpretationem confirmat Petrus Galatinus, lib. 2. de Arcanis cap. 9. versus finem ex Midras Coheleth in expositione Ecclesiasticae in illa verba, *quid est homo, vt sequi possit regem suum?* In Hebraeo enim habetur, *regem, pariter eum.* Praedicta ergo expositio sic habet. *Pariter eum, videlicet aliorum regum regem, Deum sanctum & benedictum tunc valebis stare. Dicit autem per hoc dictum quod non est scriptum, qui fecit eum, sed qui seruauit ei,*

quod ex quo in lege scriptum est, dici potest. Deus enim sanctus, & benedictus & domus iudicii eius, fecerunt eum. Si autem ex hoc dixeris quod duo sunt principia: non sequitur, nonne enim iam dictum erat, Deut. 32. Ipse fecit te, & aperuit vel preparauit, te? Huc usque expositio. Circa quam tria notat Galatinus. Primum est, Cum nomine, rex, singularis numeri coniugi verbum pluralis, fecerunt. Quia Deus cum hominem conderet, pluraliter dixit, faciamus. Quia etiam de causa dictum putat, Psal. 149. letetur Israel in eo, qui fecit eum. In Hebræo, in factoribus suis. Et Isa 54. Dominatores tui, factores tui Deus exercituum nomen eius. Vbi ponitur nomen Tetragrammaton, יהוה. Sed forsitan Hebraica Phrasi id a. 3. est, ut superior testimonio notauimus. Secundo notat Deum sanctum & benedictum, & domum iudicii eius ad faciendum hominem, conuenisse, hoc est Deum unum, qui dicitur sanctus, & benedictus, & Trinum qui dicitur. Domus iudicii eius. Nam domus iudicii apud Hebræos, dicebatur, cum tres, ut minimum, ad iudicandum conueniebant. Tercio notat, non ideo esse plura principia; ut optime dixit illa expositio, ex eo quod domus consilij Dei ad faciendum hominem conuenierit: quia in Trinitate una est natura, & potentia principij.

Quartum testimonium est Genes. 19. Pluit Dominus super Sodamam & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de caelo. Ex quo loco colligitur pluralitatem personarum Ignatius in epist. ad Antiochenos, Iustinus in Dialogo cum Tripphone longe ante medium, de quo plura disputatione sequenti c. 4. Athanasius in oratione contra Gregales Sabellij, Hilarius de Trinitate; Tertullianus libro aduersus Praxeam cap. 16. Epiphanius in lib. Anchorato, Rupertus lib. 6. super Genes. 11. in fin. Fauet autem plerumque textus Hebraicus סאת יהוה יהוה Mehet Iehoua, quia cum utrobique ponatur nomen ineffabile, quod soli Deo applicari consuevit, & dicatur Dominus à Domino, aperte denotatur Deus de Deo, quod sine multiplicatione personarum nonquit intelligi. Fauet autem, ut notat Galatinus lib. 2. c. 9. in fine id quod Rabbi Eleazar docet in expositione huius loci: nempe ubique in Scriptura ponitur nomen Deineffabile, semper intelligi Deum, & Domum iudicii eius, ut in præcedenti testimonio notauimus. Et quidem concilium Sirmiense Canone 13. 16. & 17. damnat Anathemate eos, qui dixerint, Genes. primo cum ait Scriptura, faciamus hominem, & patrem ad se ipsum sanctum: & qui regnauerunt Genes. 19. cum dicitur, pluit Dominus à Domino, de Filio & Patre esse intelligendum. Verum autoritas huius Concilij nulla est; cum in multis deprehendatur Arrianum, & legitime congregatum non fuerit, ut suo loco dicemus: de quo multa Hilar. in l. de Synodis, Socrat. lib. 2. Historiz c. 27. Niceph. lib. 9. c. 31. 7. & 38. Responder tamen Dionysius Carthusianus, per Dominum, qui dicitur plueri à Domino, intelligi Angelum, qui Dei personam sustinebat, quem Dominum appellauit, quia quasi Dominus inter reliquos tres apparuit. Sed hæc expositio non quadrat textui: quia ut notauimus, utrobique ponitur nomen Deineffabile, quod in solum verum Deum conuenire potest. Varabius in eum locum putat esse Hebraicum, ut perinde sit, pluit Dominus à Domino: atque pluit à se ipso, sed non est cur simile testimonium quo patres vtuntur, ita facile illudamus, tamen non dubitem similem loquendi

modum iuxta phrasim Hebraicam in Scriptura reperi.

Quinto probat Galatinus ex illo Deut. 6. Audi Israel Dominus Deus noster, Deus unus est. In Hebræo enim pro illa voce, Dominus, est nomen ineffabile: qua sane repetitione, & Trinitas, & vnitas insinuat: nec enim superuacane posita videtur: quā antiqui Rabini quos refert Galat. inde colligant Trinitatē. Rabbi Simeon Iohai filius in lib. Zoar ita inquit, Audi Israel, ait Rabbi Ibbi, hic est, d. Israel, antiquus, יהוה, Iehoua, id est, Deus, qui est principium omnium rerum, antiquus antiquorum, hirtus radicū, & omnium rerum perfectio: & dicitur pater. אלהינו, Ielohenu, id est, Deus noster, profunditas fluminum, & fons scientiarum, quæ procedunt ab illo, & vocatur filius יהוה, Iehouah, id est, Deus, hic est Spiritus sanctus, qui à duobus procedit, & vocatur mensura vocis, vnus est, ut vnus cum alio concludat, & colliget. Nec n. alius ab alio diuidi potest. Rabbi autem Simeon filius Iohai ait, Hoc arcanum filij non reuelabitur vnicuique quousque venerit Messias. Simile est illud testimonium Psal. 67. Benedicat nos Deus, Quibus verbis significatur pater, Deus noster, Quibus denotatur filius, qui propter economiam peculiari ratione dicitur Noster. Benedicat nos Deus, Quibus insinuat Spiritus sanctus. Et illud Eia. 6. Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Deus exercituum: In quem locum sic scribit Rabbi Simeon. Sanctus, hic est Pater, Sanctus, hic est Filius, Sanctus, hic est Spiritus sanctus. Simile quid ait Rabbi Ignatham Vzielis filius: quorum omnium testimonia hætenus à nobis allegata, testatur Galatinus. se legisse in vetustissimis eorum codicibus: tamen in his, quibus nunc vtimur, à perdidis Rabinis huius ætatis expuncta sint. Et certe non debemus existimare, sine magno Dei consilio, similia verba ter posita fuisse: ideoque, ut idem Galatinus affirmat, veteres Talmudistæ statuerunt, ut ab vnoquoque Iudeorum bis saltem in die, mane, scilicet, & vespere dicerentur: sub quibus arcanum, aliquot tempore Messias reuelandum esse asseuerabant. Cuius etiam mysterij causa Trisagion illud in Ecclesiastica Græcia inter solemnes orationes positum est, Sanctus Deus Sanctus sortis, Sanctus immortalis, miserere nobis. Cuius mentionem facit Felix Papa in Epistola ad Zenonem Imperatorem, & Damasius in Epistola de Trisagio, & alij Patres.

Sextum testimonium est Zachariæ 2. cap. Lat. 6. Testimonium Zachariæ. da, & letare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multe ad Dominum in die illa: & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te. Versio Chaldaica sic habet, Quia ego reuelabor, & ponam diuinitatem meam in medio ait Deus. & applicabunt se populi multi ad populum in tempore illo, & erunt coram me in populum: & ponam diuinitatem meam in medio tui, & scies, quia Deus exercituum misit me ad prophetandum tibi. Vbi cum utrobique ponatur nomen Deineffabile, constat ibi esse sermonem de Deo mittente, & de Deo misso: missio autem duas necessario postulat personas, ut disput. 170. perspicue monstrabimus.

Septimum testimonium sit, quod refert Galatinus libro secundo capite tertio ex Esaiæ. cap. 48. Non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fierent, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Quod sicut explicat Galatinus contenditque ibi loqui Deum misum à Deo mittente. Ea enim verba non conuenire ipsi Prophetæ, probat: quia ibi ipse non erat, antea quam illa fierent.

5 Testi Galatinus.

Deut. 6.

Rab. Simeon 6. Testimonium & Sept.

16.

Esa 16. Rab. Iohai Galatinus.

17.

7. Testi Galatinus.

Esa. 48.

Adamus.
Non probatur
recentioribus.

fierent. Sed Adamus, & alij recentiores de ipso propheta intelligi posse, asseuerant: quod ipse præfens fuerit spiritu, & mente ijs, quæ prænu-
ciavit populo, antea quam fierent: & hæc contra Iudæos ex veteri solum testamento sufficiant. Nā alia eiusdem, quæ in nouo afferuntur, & explicā-
tur, contra hæreticos cap. 4. adducemus: mitto alia, quæ versat Galatinus libro secundo cap. 5. & 10. & lib. 3. c. 3. 4. 5. & 6. nec enim singula perfe-
qui necesse est.

CAPVT III.

Personarum Trinitas contra Iudæos ex nomine
retroagratum ostenditur.

18.

Galatinus.

Quid nomen
Iehoua signi-
ficet.

Non solum testimonijs scripturæ, & anti-
quorum Rabbiorum: verum etiam ex ipso
nomine Dei ineffabili, יהוה Iehoua. Quo pas-
sim scriptura vititur, iuxta antiquorum Rabbino-
rum sensum, mysterium Trinitatis probat Gala-
tinus lib. 2. c. 6. atq; multis omisiss circa modum
scribendi, & proferendi hoc nomen, quæ latius
tradidimus supra disput. 59. capite 2. & 3. Rab-
benus Haccados, vt testatur Galatinus lib. 2. cap.
10. scribens mysteria huius nominis Antonio
Consuli vrbs Romæ, inquit significare Deum
generantem: & quia non potest esse generans si-
ne generato, à generante in generatum, & con-
tra procedere amorem. Quamobrem hoc nomē
dictum fuisse semhamēphoras, hoc est, nomen
expositum. Explicarique per nomen duodecim
litterarum, quod Latina lingua significat, Pater Fi-
lius Spiritus sanctus, & per aliud quadraginta duarū
litterarum, quod nostra lingua sonat, PATER
DEVS, FILIVS DEVS, SPIRITVS sanctus
DEVS, Trinitas in vnitate, & vnitatis in Trinitate: hæc
fuit sententia Rabbeni Haccados, hoc est, magi-
stri nostri sancti. Vnumquodque autem nomen
quo exponitur nomen illud ineffabile, non est v-
num tantum sed plura simul. Primum duodecim
litterarum אבא אבא אבא id est Pater בן בן בן id est Fi-
lius ורוח הרוח ורוח Veruab hacodes, id est Spiritus
sanctus. Nomen etiam quadraginta duarum li-
terarum similiter non est vnum tantum, vt vide-
re est apud Galatinum.

19.

Trinitas si-
gnificatur
per huius
vocis literas.

Sed & litteræ, quibus non ineffabile scribitur,
eandem Trinitatem significant, vt optime obser-
uauit Galatinus. Nam prima litera est, י Iod quæ
significat initium, quod videtur proprie conue-
niri Patri; est enim principium à quo ceteræ li-
teræ suam videntur originem trahere. Secunda
est, ה He, quæ denotat esse, & viuere, appropriata
filio, omnia enim per ipsum facta sunt. Tertia est
ו Vaph, quæ significat nexum, est enim dictio co-
pularia, quæ est proprietas Spiritus sancti. Quar-
to vero loco ponitur aliud, ה He, quia cum filius
habeat duplicem respectum, alterum ad Patrem,
alterum ad Spiritum sanctum duplici illo, ה He,
repetito significatur filius cum duplici respectu.

Id probat
modus etiam
scribendi.

Porro apud Caldæos, ex antiquis Rabbino-
rum codicibus constat, ita scriptum fuisse nomen
Dei ineffabile, vt eandem Trinitatem perspicue
denotaret: Scribe batur enim cum triplici Iod, &
Camez, subscripto intra circulum hoc modo
cum enim, י Iod, significet principium, &
rota Trinitas sit vnum principium rerum
extra se in vna essentia, & natura: Trini-
tas personarum ostenditur triplici י Iod, vnitatis
vero essentia: vnica vocali, Camez. Hæc sane,

quæ ex veteri testamento contra Iudæos adduci-
mus, non sunt ita perspicua, sicut quæ in Euange-
lio traduntur, ex quo contra hæreticos nobis hi-
tim disputandum est: sunt tamen satis efficacia
contra illos, nisi obfirmati essent in peruersa sua,
quibus si radius luminis illuxisset, vt alia mythe-
ria nostræ fidei agnoscerent, facile sibi persuade-
rent; patribus suis aliquo modo fuisse indicatum
personarum pluralitatem; non tam aperte sicut
Christianis: quia pro tempore sic expediebat, vt
optime obseruauit Theodoretus lib. 2. ad Græ-
cos. Atque argumento nobis sunt satis efficaci
Rabbini, quos allegauimus, qui ante Christi ad-
uentum tam clare, & manifeste Trinitatem per-
sonarum proprijs nominibus notatam prædica-
runt.

CAPVT IV.

Idem contra hæreticos ex veteri & nouo testa-
mento monstratur.

Super sunt aliqua testimonia veteris testamen-
ti, quæ cum in nouo iam sint explicata, contra
hæreticos, qui vtriusque fidem adhibent, præter-
itum vim habent, ex illis ergo & alijs eiusdem no-
ui testamenti Trinitas, seu pluralitas personarum
in hoc capite comprobanda est.

Primum testimonium est Psal. 44. Sedas tuas Domi-
ni in seculum seculi, virgo diuinitatis virgati regni tui. Dilecti
iustitiam & obisti iniquitatem: propterea vixit te Deus,
Deus tuus oleo latitiae præ consortium tuum. Quo recte vi-
ditur Paulus ad Hebræos 1. vt probet filii diuinita-
tem: loquitur enim Patres cum Deo cuius re-
gnum est in seculum permanens, cumque di-
cat ipsum esse vinctum à Deo suo, manifeste indi-
cat esse DEVM, qui vinctus est, & Deum vigen-
tem. Et quanquam Deus secundum diuinam na-
turam non potuit à Deo vngi, tamen filius, qui est
vere Deus, potuit secundum humanam naturam
esse vinctus à Deo suo, hoc est à Patre. Totum
item Psalmm intelligi de nuptijs Christi cum Ec-
clesia, non de nuptijs Salomonis cum filia Phi-
raonis, vel Assueri cum Hester, dubitandum non
est, aut saltem multa in eo Psalmo dici, quæ in
Iohannem Christum conuenire possint, qualia sunt ver-
ba proxime citata.

Secundum est Psalmo 109. Dixit Dominus De-
mino meo sede à dextris meis, quod adduxit Christus
Matth. 22. ad suam diuinitatem comprobendam.
Teste autem Euangelista adeo fuit efficax contra
Iudæos, quibus Christus loquebatur, vt non po-
tuerint verbum respondere: Nec fuit quicquam
ausus eum amplius aliquid interrogare. Ibi autem
manifeste ostenditur pluralitas personarum dicit
enim Dominus Domino, sede à dextris meis. Id
quod, nisi esset personarum distinctio, commo-
de non posset intelligi.

Tertium est Psal. 139. Filius meus es tu, ego hodie genui
te, quod adducit Paulus ad Hebr. 1. neque parum
Paulum vi ea parte testimonij, ego hodie genui te,
vt probet æternam generationem Filii, licet in-
pra disput. 18. cap. 2. abunde probauit, sed vget
solum partem, Filius, vt probet Christum fuisse
se verum Dei Filium, ex quo nō minus recte
ligitur pluralitas personarum. Vbi enim est filius
est etiam Pater, neque eadem persona sui ipsius
& pater & filius esse potest. Accedit quod eodem
Psalm. dicitur, Apprehendite disciplinam. Nam in Psal-
mo dicitur, osculamini filium, quod idem omnino esse
ostendit.

ostendimus disp. 18. cap. 1. loquimur autem de Christo, quem filium Dei appellat, sicut paulo ante eodem Psal. *Filius meus es tu, &c.* Deinde cum dicitur, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, in Hebræo non est, Dominus, sed verbum, irascatur refertur ad filium, quare cum 70. Dominus addiderunt, filium ipsum significarunt esse Dominum Deum, de quo etiam intelligitur illud cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo quæ omnia manifeste filij diuinitatem prædicant, tanquam personæ a Patre distinctæ.

Sed iam proferamus aliqua testimonia noui testamenti, quibus hæreticos etiam reuincamus. Ioan. 5. sicut Pater habet vitam in se ipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, habemus ergo Patrem, & Filium. Eos vero eiusdem substantiæ & naturæ esse contra Arianos infra probabitur Ioann. 1.

Vniuersus qui est in sinu Patris, ipse narravit. Ioann. 14. Ego in Patre, & Pater in me est, ubi distinctio personarum manifeste ostenditur. Nam licet Dei attributa dicantur in Deo esse, imo etiam apud Deum ut Psal. 120. apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, & Psal. 55. Apud te est fons vitæ, tamen nunquam diceretur vnus in alio esse, & contra, nisi personaliter distinguerentur, de quo modo circumfessionis dicemus disput. 169. Filius denique sæpenumero in Scriptura nominatur. Sed non solum pluralitas personarum in nouo testamento, verum etiam Trinitas proprijs nominibus notata traditur. Matth. vlt. Baptizantes enim nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 1. Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, verbum, & Spiritus sanctus, et hi tres vnus sunt. De quo testimonio disput. sequenti cap. 2. plura dicemus. Denique Ioan. c. 5. cum venerit paracletus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ubi non solum tres nominantur, sed aperte etiam distinguuntur. Primum cum dicitur Spiritus missus a Patre & Filio, ab eis etiam distinguitur, ut disput. 170. manifeste ostendimus. Deinde cum dicitur, quem ego mittam a Patre, Filius a Patre distinguitur, quia denotat ibi se a Patre accepisse virtutem mittendi, sicut ipsi dicit, quam per generationem accepit: ut ibidem dicemus. Nunc ergo satis sit in genere probasse contra Sabellianos & Iudeos, plures, imo tres esse personas in diuinis: nam de earum proprietate, & natura contra alios hæreticos postea differendum nobis est. Eadem veritas definita est in omnibus Concilijs Generalibus post Nicenum in quibus recipitur Symbolum & confessio illius: in ijs præsertim, quæ contra Atrium definiunt diuinitatem filij. Contra Sabellianos quoque disputant ex Patribus Euseb. lib. Hist. cap. 1. & lib. 10. cap. 29. Sixtus Papa in Epist. ad Dyonisi. Leo I. Epist. illa 93. c. 1. Tertullian. aduersus Praxeam. Epiphani. loc. à nobis allegatis in 1. cap. Euthym. 1. par. Panoplia titulo decimo.

Theologi vero nostri temporis, qui contra hæreticos disputant, multa argumenta, quibus noui Sabelliani videntur, afferunt. & in eorum solutionibus satis immorantur: sed quia in opus variaz difficultates tanguntur, quæ in varijs huius materie disputationibus serio pertractandæ sunt, illis nunc superfedere operapretium iudicauit. Ex ijs enim quæ lois locis dicenda sunt, nenia, & pueriles obiectiones hæreticorum facit.

Vazquez in 1. partem Tom. II.

cile euanescent. Iam ergo cum alijs hæreticis dimicemus.

DISPUTATIO CIX.

An Verbum seu Filius sit eiusdem naturæ cum Patre.

Quam hæretici diuinitatem filij negauerint, c. 1.

Diuinitas & equalitas Filij cum Patre contra hæreticos ex Scripturis probatur. c. 2.

Eadem veritas ex Patribus ostenditur. c. 3.

Argumenta Ariatorum, c. 4.

Ad significandum Filium & Patrem esse eiusdem naturæ, recte vti Ecclesiam nomine dyonisi, Homousios, hoc est, consubstantialis. c. 5.

CAPUT I.

Quam hæretici diuinitatem negauerint.

INter eos, qui tres personas apud Deum constituantur nonnulli fuerunt hæretici, qui de earum natura non bene senserunt, & primū quidem de persona filij dixerunt non esse eiusdem dignitatis, & substantiæ cum patre, sed creaturā Deo inferiorem, eamque in tempore incepisse. Recentiores aliqui hunc errorem falso adscribunt Ebioni & Cerintho, falluntur tamen. Hi enim hæretici solum docuerunt CHRISTVM non esse Deum, ut constat ex Ireneo libro primo, capite vigesimo quinto & 26. ex Philastro in suo libell. de hæres. ex Epiphani. hæresi 18. & 30. quod sane possent affirmare Ebion & Cerinth. etiam si tres personas Trinitatis equales in natura concederent.

Quare nec illi contra Trinitatem, nec contra aliquam personam illius docuisse videntur. Eandem hæres. tribuunt Origeni viti grauissimi, Epiph. in Epist. ad Ioan. Episcopum Hierosolym. quæ inter Epistolas Hierony. est 60. idem etiam hæresi 64. Theophilus Episc. Alexan. in suo patriarchali lib. 7. August. lib. de hæresi cap. 43. eo quod dicebat Origenis, ut ipsi testantur, ita esse absurdum asserere patrem videri a filio, sicut filium ab Spiritu sancto: aiebat præterea filium comparatum sanctis hominibus, esse veritatem: sed si cum patre conferatur, esse mendacium. Vnde colligebat, filium non esse orandum.

Verum Origenes lib. 1. Peritarchon cap. 2. & cap. 3. multis probat, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum equales esse, & eiusdem naturæ, & c. 3. post medium sic ait. Porro autem in Trinitate nihil minus dicendum est, quæ sunt verba Athanasij in symbolo: multa alia similia habet lib. 7. in Epistolam ad Roman. quocirca idem Athanas. in Epistola de decretis Nycenæ Synodis vtriusque testimonio Origenis contra Arianos, & ait: nullum ex antiquis patribus pro hoc errore ab Arianis allegari potuisse. Fateor quidem Origenem in euangelium Ioannis 3. tom. circa finem, non tam recte de filio Dei fuisse locutum: sed forsitan illa verba inserta etiam ab aliquo Ariano fuerunt: aut, ut ait Vincentius Lirinensis. si ipse cum Arianis non sensit: illis tamen causam erroris præbuit. Origenem defendunt præter Rufinum, alij Patres apud Socratem lib. 6. histor. ca. 15. & ex recentioribus Picus Mirandul. in apolo-